

67.

DISPUTATIO
De
SUFFOCATIONE
UTERI,

Quam

TRIN-UNO DEO DUCE
Decreto atq; Auctoritate Amplissimæ
Facultatis Medicæ in incluta Rostochiensis Aca-
demiâ, pro summis in arte Medicâ honoribus ac privilegijs
Doctoralibus consequendis,

PRÆSIDE

Viro Clarissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

Dn. SIMONE PAULLI MED.
DOCTORE AC PROFESSORE PUBLICO,
Dn. Præceptore ac Promotore suo æternum
honorando,

*Publico Examine ac placida ventilationi
submittit*

M. SALOMON ~~Sischer~~ Lubtio-Mega-
politanus.

Ad diem 5. Martii, in Auditorio majori.

R OSTOCHI,
Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad Typ.
ANNO M. DC. XXXV.



PROEMIUM.



Um inevitabilis sit Fati necessitas, eaq; satis velox, neminem reperiri puto, qui cum ἀναλγησία vitâ hac decedere placideq; obdormire, sibi animi- tûs non precetur. Verùm voto huic etiã ardentissimo eventus sæpius vix responderet, & hominem modò enatum multæ morborum præstolantur hostiles copix, quæ eundem per vitæ stadium conco- mitantur, tandemq; cum cruciatu ac ejulatu penitûs è medio tollunt. Inter homines autem maximè misereri sub- it fœminæ fortis, utpote quæ atrocioribus, & à viro- rum morbis planè diversis, divexantur ægritudinibus, non tantùm ratione nativi ipsarum temperamenti, sed & instrumentorum ad conceptum, partum & lactatio- nem necessariorum. Imò unicus uterus tam sæva, dys- pnxam, Epilepsiam, veternum, syncopen, delirium, &c. excitat symptomata, ut rectè *Democritus, in Epistola de Nat. hum. ad Hippocratem, scripserit: infantium matrem, gra- vem calamitatem, sexcentarum ærumnarum mulieribus autorem esse uterum, quas ipse Hippocrates integro libro de virginum morbis, multis & gravissimis malis ob uteri vitia corripi demonstrat & docet.* Quapropter cum tam stupenda ex utero pullulascant mala, mihi verò Thema quoddam medicum proponendum sit, gravissimum omnium suf- focationem scilicet uterinam deligere, atque impræsen- tiarum placidæ ventilationi, dum circa illam, multa in-

ter Medicinæ Proceres controvertuntur, subicere animus est, ejus naturam & curam juxta tria illa ab antiquo constituta officia, *ἰατρικῶν, παθητικῶν & θεραπευτικῶν* investigando, paucis his comprehensus thesibus. Et cum à *Diagnosi* ordiri deceat, sub illâ affectus *subjectum, causa, differentie & signa* consideranda veniunt, præmissâ tamen tum nominis tum rei, tanquam optimo dicendorum principio, definitione.

THESES I.

Græcis hic affectus *μὴ ὑστερικὴ* nominatur, quod idem ac Latinis *suffocatio* seu *strangulatus uteri*, vel potius *suffocatio uterina* sonat, eò quòd mulierculæ hoc malo contactæ, suffocari quasi cernantur; quâ de causâ quandoque & *ἄμωια* vocatur. A potiori & *κατ' ἐξοχὴν* Hysterica dicitur passio, cum ex utero, quem Græci *σῆεν* appellant, mali causa prorumpat & evaporet. Germanis, mulierculis præsertim, quas vera causa latet, *das Aufsteigen der Mutter*.

II.

Definiri potest, quod sit *respiratio difficilis*, vel *eiusdem ad sensum ablatio*, cum *functionum cordis, cerebri, & aliarum partium lesione*, *ratiusq; corporis refrigeratione*, à *vapore maligno, ab utero ad partes superiores elevato, ortum habens*.

III.

Affectum hunc, quidam morbum esse, & quidem frigidæ intemperiei, (quod corpus in ipso paroxysmo frigidum deprehendatur) interdum nudæ, interdum cum affluxu perhibent. Verum cum refrigeratio ista & citò fiat & citò evanescat, quod morbis intemperiei non convenit, ut *Galen. l. 3. de loc. aff. c. 7. & lib. 2. de Symptom. caus. c. ult.* docet, meritò & illis, qui non nudæ intemperiei morbum hunc affectum esse volunt, assentimur.

IV.

Subiectum principale, seu pars affecta, est uterus, solum illud primum natale omnium nostrum, unde aliàs vita nobis, illinc pro re natà sequiori sexui summa veneni pernicies exoritur, ut cum Fernelio, Celso altero, aut Latinitatis medicæ Plauto aut Cicerone, loquamur.

V.

Uterum dum dico, simul testes & vasa, & hæc præcipuè intellecta volo: Nam si materia in uteri stabuletur cavitate, vapores isti maligni non tam citò in vasa regredi & regurgitare possunt, cum facilius ipsis per cervicem illius detur exitus.

VI.

Vasa autem, ad quæ, & Tubam Fallopianam referimus, & testes, ad fovendum humorem istum non inepta esse, experientia & inspectio attestatur Anatomica, de quibus prolixè differendi hinc non est locus.

VII.

Quod autem modò cerebrum, modò cor & reliqua membra compatiantur, consortium illud facit, quod cum omnibus ferè partibus habet uterus; non tantum per cæca spiracula, sed & manifestos ductus, quos penetrare ac permeare halitus isti maligni nullo negotio possunt, docente id passim *Hippocrate in lib. de morb. virg. & mulier. & Gal. 6. de loc. aff. c. 5.*

VIII.

Declarato hujus affectus subiecto, causas quoque, quæ datà portâ ruunt, irruntque & feriunt nobiliores corporis partes, contemplari licet, quas in *proximas, continentibus scilicet, & remotas, quæ vel sunt antecedentes & procatartica, dispescimus.*

IX.

Proximam & continentem, exhalationem seu evaporationem quandam malignam & venenatam ponimus, quæ adventante exaltationis suæ tempore, subito & magno cum impetu, per venarum, arteriarum, generisque nervosi ductus, in partes superiores rapitur.

X.

Malignam dicimus & venenatam, non manifestâ tantum ferocientem qualitate, ratione innixi & autoritate. Ratione, 1. enim, cum cordis cerebriq; functiones tam enormiter lædantur, imminuentur, ac depraventur, fieri non potest, quin vapor iste malignus sit, qui totâ substantiâ spiritibus tum vitalibus, tum animalibus, insensus atque adversus existat. 2. Cum multæ dentur virgines & mulieres, quæ nec Venere utuntur, nec aliàs, licet humoribus abundant, repurgantur, hanc tamen affectionem non patiantur. *Galenus* insuper adducimus autoritatem, qui expressè 6. de loc. aff. c. 5. hujus vaporis malignitatem venenis quibusdam comparat.

XI.

Vaporem istum, dum pro verâ agnoscimus continente; adscensum uteri, usq; ad Cor, Epar & diaphragma, & *Galenus* autoritate, & Recentium studio anatomico, exclusum volumus, quicquid etiam mulierculæ & alii ab iisdem persuasi dicant. Dicere autem illæ quandoque post paroxysmum solent, uterum sibi ad guttur adscendisse; quædam etiam nutricum eò impudentiæ abeunt, ut vomitu secundinas rejici posse, mentiri non vercundentur. Sed ad rem & propositum nostrum redeamus.

XII.

Causa antecedens est 1. Sanguinis menstrui feminisque copio-

copiosi retentio & corruptio. Cujus corruptionis, quoddam vel in se habet principium, vel omninò ex naturâ loci, dum retinetur, acquirit. Uteri siquidem conditio longè alia est, quam reliquarum partium, cum & menstrua paululum ultra debitum tempus retenta ejusmodi acquirant venenositatem, ut postea, quodvis ferè, quod attingunt, corrumpere queant.

XIII.

2. Temperamentum calidum & humidum, quod videlicet majorem seminis copiam gignit, quodq; ad venerem magis reddit proclives. Hinc virgines nubiles, vestales & viduæ hac temperie, quippe semine abundantes, frequentius hoc malo corripiuntur: Imò & viros, monachos imprimis petulcos hac de causa, semine scilicet retento, similibus ferè accidentibus fuisse correptos, ex observationibus Medicorum didicimus. In superiori Germaniâ, illud, si accidat viris, eos mulierculæ quædam, uteri adscensum pati nugantur, & mordicus defendunt.

XIV.

Ad *procatarticas* pertinent ea, quæ corruptorum humorum vaporem agitandi & commovendi vim habent, suntque res non naturales ferè omnes, i. inter ea, quæ *assumuntur* (ad quæ brevitate studio ea referimus, quæ Galenus capite ultimo lib. I. de sanitate tuenda *adhibenda* vocat.) est aër, qui si non temperatus, vel ore excipiat, vel locis sese insinuet, hystericam passionem concitare potis est. Quò pertinet benè & graveolentium anathymiasis, qua uterus diversè agitur, cujus motu & humores unâ agitantur, sursumq; vapores rapiuntur: Idem ciborum & potus dulcia præstant, utpote quibus uterus delectatur, A d

XV.

Ad ea quæ *geruntur*, refertur corporis & animi motus. Uterque causam antecedentem concutere valet, maximè verò motus animi, quorum vehementissimus, terror scilicet & ira.

XVI.

Ad ea quæ *retinentur*, pertinet feminis & menstruorum retentio, ut & lochiorum aliorumque humorum, in utero vitiosorum prava, aut nulla omninò excretio; quod cum fit, post abortum vel partum, ~~quæ~~ multæ strangulari & trucidari conspiciuntur miserimè.

XVII.

Ad *differentias* accedentes, illud Galeni 6. de loc. affect. cap. 5. meritò in memoriam nobis revocamus, *hystericam passionem unum quidem nomen esse, nihilominus sub se comprehendere, innumera & varia accidentia.* Et omninò variè variat, cum secundum causæ efficientis vehementiam, tum ejusdem diversitatem. Ratione illius esse potest vel *levis*, quæ citò discutitur & evanescit; vel *gravior*, cum pulsu & respiratione privari videntur, ratione manente integrâ; vel *gravissima*, cum omnibus sensibus & motu destitutæ, tanquam mortuæ atque exanimes jacent. Ratione hujus aliquando & alii conjunguntur affectus. Nam cum verum sit, alium habere naturam sanguinem corruptum, aliam semen, alia etiam symptomata prorit, nunc deliria, nunc convulsiones, nunc syncopen, &c.

XIX.

Differentias sequuntur *signa diagnostica*, quæ scilicet accessionem instantem, præsentem ac declinantem, indicant, affectum ipsum, ab aliis cognatis distinguunt symptomatibus, quæq; quis humor peccet, significant.

In-

Instanti præeunt, perpetua virium imbecillitas & lassitudo, refrigeratio, faciei pallor & moestitudo, manibus comprimunt ventrem, cum aliquid moveri ac adscendere sentiunt. Mentis torpor & tarditas, nonnullis infesta desipientia, quædam vix ac ne vix quidem risum continent, contra lacrymæ aliis profluunt, adsunt & oris ventriculi morsus, nausea, hypochondriorum *Βορρυμὸς*, & multæ aliæ malorum lernæ aut panegyres.

XIX.

Hæc omnia præsentente affectione ingravescent, & vehementiora evadunt. Sensus interni & externi ferè abolentur. Quædam clamant, & opem exposcunt, quædam audiunt & vident, respondere tamen nequeunt, & velut mortuæ supinæ concidunt, cum universi corporis refrigeratione, pallore, quibus symptomatibus & multæ aliæ corporis mutatae qualitates comites ire solent.

XX.

Declinante accessione, malæ, discussâ materiâ, rubore quodam perfunduntur, sensum & intellectum, cum multis suspiriis, oculisque apertis recuperare incipiunt. Uterus verò relaxatus humiditatem quandam cum ventris murmure, & quandoque crepitu, profundit.

XXI.

Signa quibus affectio uterina ab aliis cognatis affectibus, in modo ab ipsis mortuis discernitur, hæc sunt: 1. à *Syncope* differt, modo invasionis; hæc subito, illa cunctantius ingruit. 2. ratione vehementiæ; illa pulsus ad sensum omnem perdit, hæc non, nisi *syncope hysterica* passioni conjugatur. 3. modo durationis; hæc brevior, illa longior. *Ab Apoplecticis*; quod hæc punctæ & velli-

catæ non sentiant, illæ verò interdum manu se dolorem sentire indicant. *Ab Epilepticis*, modo convulsio- nis; quæ in his major & universalior, in hysteri- cis aut nulla, aut unius, vel alterius membri. In his etiam ratio maximam partem integra est, dum vocatæ audiunt & recordantur post paroxysmum, rerum circa se gestarum quas pleræque Epilepticæ nesciunt. *A Lethargo*, fe- bri & pulsu, quem majorem habet, discernitur.

XXII.

A mortuis quomodo distinguendæ, videndum; ubi unicum præ multis reliquis hoc probatur, si nimirum sternutatorium ipsis naribus infletur, quo, si vita adhuc super sit, sternutatio excitabitur. Reliquis tentaminibus, pennæ levi, flocco lanæ carminatæ, aut speculo terfo ori & naribus admoto, non fidendum; cum quandoq; respi- ratio adeò exigua sit, ut pro mortuis compositæ & elatæ fuerint. Tutius itaque est, triduo elapso demum eas hu- mare, quò an vivant, nec ne, ostēdet cadaverosus foetor,

XXIII.

Signa causarum cognitu utiq; sunt necessaria, cum mul- tum ad curationem ac præsertionem faciant. Si semen sic in causa, i. menstrua se quodammodo rectè habent, verùm symptomata omnia sunt vehementiora, semen namq; ut est nobilissima substantia, ita corruptum, ma- jorem acquirit venenositatem; corpori magis nocivam, docente Galeno 6. de loc. aff. c. 5. 2. humor femini similis, imò plurimum & crassissimum semen ex locis earum profluit, ut lib. 2. de sem. c. 3. apud eundem videre est.

XXIV.

Si à sanguine, menstrua retinentur, mammæ turgent, & gravitas in corpore adest, partesq; superiores rubent.

Si

XXV.

Si neque ex femine, neq; ex plethorâ, sed à cacochymia, signa recensita absunt, illa tamen, quæ humores excrementitios produnt, causamq; mali indicant, præstò sunt.

XXVI.

His positis signis, quid futurum, quidque sperare licet, *Prognosis* monstrat. Et 1. si leve sit malum, nihil lethale fovet; in prægnantibus autem & puerperis ferè lethale est, cum vires earum id nullo modo ferre possint. 2. Quò plures partes per sympathiam unâ laborant, & quò sæpius invadit, paroxysmiq; diutius prolongantur, eò periculosior censetur status. 3. à femine hoc malum ortum, pejus habetur illo à sanguine. 4. Mulieri hystericæ aut ægrè parturienti, sternutamentum superveniens, bonum. *Hippoc. 5. aphor. 35.*

XXVII.

Tertium, quod initio promisimus, officium *Therapia* est, quæ cognito affectui sese opponit, & sub indicationum auspiciis unicè ejus præservationi & curationi studet. Respicit igitur uteri suffocationem vel præsentem, vel imminentem, vel præteritam.

XXIIX.

Præsens à causâ continente liberationem desiderat, & hæc ordinaria curandi methodus. Sed cum varia habeat accidentia, animi defectionem, animæque præfocationem, partium convulsionem, &c. ab ordinariâ methodo, ob conglobata Symptomata ex parte affecta nobili, intercidentibus facultatibus. plerumque in hoc affectu recedere, & mitigandis saltem symptomatibus primò omnium antequam vel procatarcticas, vel an-

tecedentes, vel, denique continentes causas tollamus, incumbere, *ratione & Galeni autoritate* 9 M. M. c. 13. compellimur. Et hæc *Curatio extraordinaria* dicitur.

XXIX.

Imminens & præterita uteri suffocatio, ne aut generetur, aut discussa redeat, causas antecedentes amoveri, præcætarcticasque corrigi & præcaveri postulat, humoribus scilicet corpus liberare ac repurgare jubet, eaque omnia, tribus istis auxiliis, *Pharmacis, Chirurgia & Dieta*, expedit.

XXX.

Præsentis autem curatio sequentem in modum erit aggredienda. Ante omnia Medicus illud *Hippocratis primi aphorismi* observabit, scilicet seipsum teneri, non tantum præstare *τὸ δέον*, sed & astantes. Plerumque enim in ejusmodi casibus periculosus evenit, ut mulierculæ metu percussæ accurrant, operasque quasi confusas conferant, quibus non tantum altera alteri, sed & Medico & ægræ molestæ esse solent. Quapropter Medicus omnia, ut scopo suo convenientia sint, disponet, & i. modò accersitus fuerit initiò, ægram in lecto subrectam, reclinantem, non supinam, collocabit, vestes actutum, quæ supra cor & pectus habuerit, solvet, respirationis facilioris gratiâ.

XXXI.

Libera sic & soluta excitanda erit proprii nominis in clamatione, aurium & narium vellicatione, *pedum*, digitorum, pedum aut pudendorum tractione, contractatione ve. Frictiones item in partibus inferioribus, & ligaturæ, non tantum infra, sed & supra genua, præsertim in interiore parte institui, & cucurbitulæ sine

ne scarificatione, suris, femoribus & inguinibus applicari possunt; quò scilicet materia peccans revellatur & retrahatur; volâ oleo, v. g. laurino, rutaceo, de spicâ, &c. madefactâ, Epigastrium deorsum versus ducendum, quò scilicet & sic vapores à partibus nobilioribus abigantur. Supra umbilicum præcordia fortiter, ubi respiratio liberior, liganda.

XXXII.

Nares, foetidis & graveolentibus, suffiendæ & affricandæ, quò partim vapor discutiatur, partim ex accidenti ascensus illius inhibeatur: v. g. fumo plumarum avium, perdicum imprimis, combustarum, corii, pilorum, ungulæ alcis, assæ foetidæ, castoreo, oleo succini, tartari & ligni Guajaci. Sternutatoria hîc magnam vim habent, & utramque ferè in excitando absolvunt paginam, qualia fiunt ex pyrethro, elleboro albo, pipere longo, zingiberè, &c. Adhibitâ tamen hac cautione, ne quantitate peccemus, in iis præsertim, quæ caput habent repletum, ac Epilepsiæ obnoxium; periculum namque est, ne ex humorum commotione symptomata ingravescant.

XXXIII.

Contra pudendis suaveolentia adhibeantur, utpote quibus uterus mirum in modum delectatur, uti sunt: cassia lignea, stacte, myrrha, lignum aloës seu Agallochum officinarum, asphaltus seu lignum Rhodium, caryophylli, macis, costus, ambra, zibethum, moschus, gallia & alipta moschata, radix iridis sicca Florentina, &c. ex quibus postmodum varia formari possunt compositiva. In eosdem usus uteri os inungatur, ol. Jasmino, de napha, de spica, vel simili, in quo unum vel alterum

granum moschi vel ambrae fit dissolutum. Balsamum Apoplecticum describit *Crollius* p. 250. quod in suffocatione mirè commendat, si ventriculus, umbilicus: imò & naturalia eo inungantur.

XXXIV.

Emplastra etiam, linimenta & sacculi umbilico, petini utriq; regioni applicanda, hic locum habent, quæ vi vaporem istum discutiendi, aut vias, per quas humor corruptus fluere debet, dilatandi polleant. Illud præstant oleum anethinum, rutaceum, de castoreo: hoc, oleum nucum, liliorum alborum, & ex similibus composita; Sacculi, ex calefacientibus discutientibus & odoratis consuantur, ex cumino, aniso, foeniculo, semine dauci, sale tosto, milio tosto, artemisia, chamæmelo, junco odorato, spicanardo, majoranâ, &c.

XXXV.

Horsum quoque referuntur clysteres, quos in initio plerumque adhibent ex decoctis carminativis, electuariisq; convenientibus confectos, qui alvum excrementis liberant, materiamq; ad superiora tendentem, revocant. Utiliores iis sunt metrenchyæ, qui ex ipso fonte materiam retrahere atque eluere valent, iis scilicet applicandi, quæ maritata veneremq; expertæ sunt.

XXXVI.

Interna, licet ægræ sæpe ipsamet deglutire nequeant, ori tamen infundenda sunt; ex quibus laudatur aqua hysterica Dorncreilii, cujus ℥j in ipso paroxysmo data, mirè vivificare dicitur. Propinatur & Theriaca vel Mithridatium in aquâ artemisiæ vel pulegiæ dissolutum. Apud *Crollium* pag. 279. Elixir quoddam extat

tat uterinum, quod dosi \mathfrak{z} ij illicò paroxysmum solvere
& sanare dicit, sudoribus nimirum subsequenteribus.

XXXVII.

Cum calli seu verrucæ equarum (quæ non vi ab-
scindendæ, sed quæ, cum sponte decidunt, colligendæ,
id quod mensibus Februario, Majo, ubi & pilos plerum-
que mutant equi, accidit) pro secreto quasi in hoc affe-
ctu habeantur, non absonum quibusdam videtur, si ex
iisdem paretur extractum, & postmodum laudano suf-
focationum admistum ad intra exhibeatur. Extractum
fit recipiendo aquæ mellis \mathfrak{v} j. Destill. super succin. &
Gagat. ana \mathfrak{z} ij. per retortam & arenam, igne in fine for-
ti, aquam destillatam separa ab oleo, quod simul prodit.
Cum hac aquâ collectos callos aëre exiccatos in B. di-
gere & extrahe, adque extracti formam redige. Quod
extractum, vel solum offertur à gr. v. ad viij. vel ita
mixtum R. Laudani sine opio \mathfrak{z} ij. adde extracti callor.
 \mathfrak{z} ij. M. diligenter, & illicò à gr. iij ad \mathfrak{z} \mathfrak{f} exhibitum si-
stere hoc malum observatum est.

XXXVIII.

Pharmacæ adjuvenda venit *Chirurgia*, quam plu-
rimi in corpore plethorico, maloque à sanguine orto,
non minimum judicant indicatum. Verùm cum summa
in paroxysmo sit virium prostratio, corporisque uni-
versi refrigeratio, admodum periculosum videtur re-
medium, cui si locus sit, vel hujus vel illius pedis saphæ-
nam incidendam suadebimus.

XXXIX.

Præsentis hæc fuit curatio, sequitur jam *præterita*,
cui, ne redeat, commodè obviabimus, si causas ante-
cedentes, quæ malum hoc generant, evacuemus, par-
tesque

resque evacuatas corroboremus. Primò itaque si semen copiâ atque malignitate peccet, illud imminuendum & corrigendum, præmissis tamen universalibus, uti sunt venæsectio & purgatio, quæ ex mechoacanna, specifico purgante Paracelsi, panchymagogo vegetabili, institui potest.

XL.

Conyenienter corpore ita evacuato, (notandum, tamen solo semine peccante ægram nimium purgantibus non esse fatigandam) seminis imminutioni studendum, idque vel concubitu licito, vel frigidorum & siccorum usu, eorumque quæ totâ substantiâ semini contrariantur, uti sunt: lactuca, quam à Pythagorâ Eunuchion vocatam fuisse scribunt, & lactuca præstantior nymphæa, agnus castus, folia salicis, ruta, mentha, coriandrum, acetositas citri & limonum, cinis intestinorum gallinæ, pulvis lucii piscis mandibulorum, castoreum, camphora. Extrinsecus adhiberi suadetur oleum ex semine hyoscyami, lactucæ, portulacæ, agni casti, testium regioni ventriq̃ue infimo inunctum.

XLI.

Sanguis si peccet tantum copiâ, nec aliæ circumstantiæ contra indicent, mediana incidenda, tutius autem plerumque tempestivè saphænam incidere, postquam pedes lavit mulier. Parari autem in hunc usum potest decoctum, ex variis mensibus ducentibus herbis, ut ita ab antecedente causâ vindicetur, & facilior ad tollendam continentem sit transitus; de quâ superius actum.

XLII.

Humor corruptus sanguini permistus identidem pur-

purgantibus supra dictis evacuandus est, corpusq; uni-
versum à caco-chymiâ liberandum, ita quidem, ut pro-
bè antea præparetur iis, quæ incidendi atque extenuan-
di vim habent, cujusmodi sunt syrup. de beton. de ar-
temis. de duabus radic. de quinque rad. Byz. &c. aquæ
artemis. fœnic. petrosel. rub. tinctor. pulegii, decocta
item ex similibus confecta.

XLIII.

Pòst & reliquus sanguis purificandus, fluxusque
menstruus provocandus, cui satisfacit calamus aroma-
ticus, cassia lignea, cinamomum, costus, galanga, mo-
schus, ambra, castoreum, sabina, absinthium, melissa,
marrubium, abrotanum, matricaria, origanum, satu-
reja, majorana, scordium, myrrha, extractum bovis
splenis; & quæ fortiora sunt, ut radix bryoniæ, cy-
claminis, cucumeris agrestis, pyrethri; elleborus uter-
que, colocynthis, quæ tamen cautè, rarò & maximâ
aquæ quantitate macerata, usurpanda. Ex quibus va-
ria concinnari possunt composita. Præstantissimum
& efficacissimum censetur aperiens, chalybs, cujus præ-
parationes passim extant.

XLIV.

*Imminenti eadem obveniendum est methodo, dem-
ptâ siquidem causâ antecedenti, præcavetur affectus.*

XLV.

Tertium tandem (diæta scilicet) salutare perquam
ac necessarium in hoc affectu, sequitur Medicorum
præsidium, quo rectè administro, non paucas morbo
sublevatas esse; quandoque in totum liberatas, præter
rationem experientia approbat. Commodissimè verò
juxta sex res non naturales instituetur,

C

Et

XLVI.

Et primo quidem aër, vel semine vel sanguine peccante, ad frigiditatem & siccitatem vergat. Ægra suaveolentia vitet, ne uterus iisdem commoveatur; nec graveolentia nimium usurpet, ne caput replendo eidem & cordi officiant. Castoreo quædam delectantur, quod licet aliàs graveolens sit, mirè tamen cerebro prodesse dicitur. 2. Cibus paucus sit, & parùm nutriens, extenuans videlicet & exiccans. Pane itaque utatur omphacio, succo granatorum, limonum adperso, carnibus ferinis aut aliis aceto maceratis. Ex oleribus desumentur lactuca, endivia, blitum atriplex &c. ex fructibus, pyra, mespila, poma acida, & alia hujus generis esculenta, quæ vel nullum vel paucum & imbecille generant semen. 3. Potus sit aqua chalybeata aut hordei, cerevisia tenuis, aut aqua cocta & semine coriandri condita. Mensibus autem restagnantibus aër ad caliditatem accedat, cibus sit calefaciens atque aperiens. Potus sit cerevisia probè defæcata, vinum tenue, mulla aut aqua cum cinamomo, coriandro vel saffras cocta.

XLVII.

Demum alvus lubrica sit & facilis, quæ si non respondeat, arte enemate aliquo, aut alio idoneo à pharmaciamedicamine perito, provocetur. Consuetæ etiam hic appareant necessum est menstruæ evacuationes, ne his oppilatis, malum hoc ferocire incipiat, inque furorem uterinum erumpat.

XLIX.

Dehinc motus, & quies mediocritatem habeant, magis tamen moveri corpus juvat, quam quiescere. Convenit itaque deambulatio juxta reliqua munia domestice.

mestica. Vectio verò in curru ut & navi fugienda, cum humores & vomitum moveat. Hippoc. 4. aphor. 14. 2. Somnus & vigilia sint moderata, utpote quorum excessus noxius est, secundum aphorif. 3. l. 2. somnus autem hoc loco brevior esto, ne spiritus intra diutius detineantur, obstructionsque pariant.

XLIX.

3. Animi pathemata vehementiora compescere modis conabimur omnibus. Quod enim Galenus 1. de tuend. sanit. c. 11. inquit: Et nos non paucos persanavimus agros animi motibus ad debitum modum revocatis; & huic accommodare possumus affectui. Si enim experientiâ teste, fœminas zelotypiâ, iracundiâ & terrore motas, hoc incurrat malum, quidni eisdem, illorum affectuum evitacione, hoc evitare liceat?

L.

Pertinent huc spectacula, cogitationes & lectiones lascivæ, quæ diligenter fugiendæ, cum iis libido excitetur, sanguisque pro conficiendo semine ad partes genitales magis compellatur. Et tantum hac vice de uteri suffocatione; plura, & quæ circa hanc materiam occurrunt profundè nodosa scire desiderantes, ad anatomicorum, theoricorum, & practycorum Medicorum libros humaniter ablegamus.



